

10

A. II 10 Q

20

D. SALOMO CONSTANTINVS

T I T I V S,

ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.

P. T.

ORDINIS MEDICORVM

I N

ACADEMIA VITEBERGENSI

D E C A N V S

A C T U M I N A V G V R A L E M

A. D. 20. NOVEMBER. 1798

P V B L I C E H A B E N D V M

I N D I C I T

---

D E R E N V M V I T I I S

C O M M E N T . I .

*Renis unius in iuuene reperti, exemplum.*

D SALOMO CONSTANTINUS

2 V I T I A

СОЛЛОХУС САМОДЕЯНИЯ СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ

ORDINIS MELCHICORVM

И

СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ

САМОДЕЯНИЯ

ИЛЛАЧИАДИ ИУТОБ

СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ

ИЛЛАЧИАДИ ИУТОБ

ПРЕДСКАЗАНИЯ

СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ

СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ

СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ СВЯТОГО САМОДЕЯНИЯ

**L**usus, qui dicuntur, naturae, licet nullis adstricti videantur legibus, aliqualem omnino, in corporibus animalium in primis, servant ordinem. Plerumque enim in iis partibus occurunt, quarum functiones turbatae, vitae non confestim insidias struunt. In hanc classem eae referendae sunt, quae secundario vitae conseruandae destinatae, vel quae duplice numero corpori animali tributae, vel quae artificio restitui possunt. Luculentissima huius generis exempla fasciculi vniuersi alteriusue musculi, in singulis fere corporibus diversi, porro rami et surculi vasorum sanguiferorum, directionem solitam haud raro relinquentes, digiti manuum pedumque varie conformati, offrunt. Ipsi vero viscera saepe eiusmodi lusus subeunt, ut in structura, figura, situ, numero, amplitudine, ab ordine consueto recedant. Praeter alia renes huc pertinent, qui, ut anatomici obseruarunt, quoad situm, magnitudinem, numerum non raro differunt. ARISTOTELES (de generat. animal. lib. 4. c. 4.) Corde carens, inquit, nullum unquam animal ortum est, licet liene carens, aut duplice habens linem, et altero vacans rene, visum est. Cum vero ante duos annos in Theatro nostro anatomico inter plura, quae ibidem dissecuimus, corpora, iuuenile vnico modo rene instructum, nobis occurrerit; breuem huius defectus historiam, cum pristinorum obseruationibus comitaram, hic proponere, non inutile duximus.

Scriptores enim anatomici, vt et ii, qui anatomiam pathologiam, recentioribus temporibus strenue excutiam, amplificarunt, quin ipsi obseruationum collectores, varia, renum, numero ab ordine naturae discedentium, exempla, consignarunt. Primus ille anatomiae pathologicae auctor MORGAGNI, in Opere amplissimo de causis et sedibus morborum per anatomem indagatis, epistolis 24. 31. 40 et in primis 48, sua ipsius experientia, eaque repetita, lusus huius generis confirmauit. Similia LIEUTAUD (Historia anatomico-medica, Goth. 1796. Vol. I. lib. I. obs. 1213 sq. pg. 356.), LUDWIG (Primae

lineae anatomiae pathol. Lips. 1785. §. 48. pg. 62.) et recentissimus auctor M. BAILLIE (*Anatomie des krankhaften Baues; aus dem Engl. von SOEMMERING; Berl. 1794.* pg. 168 sq.) collegerunt. Cum vero quae-sitio de numero rerum, ad anatoiniam quoque spectet, anatomici antiquiores aequae ac recentiores exempla reris deficientis commemorant. Praeter alias HALLERV in primis (*Elem. Physiologie, Tom. 7.* pg. 242.) excitandus est, qui plura, hunc locum illustrantia, studiose collegit. Observatores denique, et observationum medicarum collectores hic consulendi sunt. Sic SCHENCKIVS (*Observatt. lib. 3. de renibus, obs. 2. pg. 457*), ex antiquorum scriptis exempla legit, et BEH-RIIVS, cum ALBERTO (*Lexicis realib. p. 112 et Tom. I. 381. Tom. II. 909*), ipse PLOUCQUETUS (*Biblioth. medico-practica, Vol. 7. pg. 15*) magno cum studio fontes hoc consilio adeundos, assignarunt.

Renum vero concretio probe ab eorundem defectu distinguenda est. Antiquiores enim observatores exempla utriusque renis in unum concreti, temere cum unico rene confuderunt. Exempla a SCHENCKIO (*loc. cit. p. 457*) allata, merito hanc mouet suspicionem. Vnus modo ren, in media spina vertebrali exacte situs, isque maximus, ut lienis fere magnitudinem excelleret, repertus fuit. Iure ergo MORGAGNI (*I. c. epist. 48. n. 16*) facilius se lectori satisfactorum esse, assertit, *scilicet*, qui inuenti vnius tantum renis exempla collectorunt, eadem in certas classes distribuissent. Illi vero exempla aliqua, in obuiis etiam libris extantia, praetermisserunt, et, quae produxere, ea fere promiscue indicare, consueuerunt, cum haud difficile esset, in ea diuidere, in quibus ren unus factus est pro duobus, et in ea, in quibus factus est ex duobus, et prima illa rursus in ea, in quibus ren unum occupat latus, et in ea, in quibus spinac impositus, medium tenet. Recentiores vero Morgagniano praecepto moniti, ad hanc differentiam magis attententes, diligenter in renis vnius reperti strucaturam inquisuerunt. Sic KALTSCHEID (*Diss. de uno reni in cadavere invento, Jen. 1753*) et LODERVS (*Progr. de renum coalitione, ibid. 1786. c. fig.*) renes notarunt concretos; alia huius classis exempla notauit BAILLIE (*I. c.*) Porro unicus ren, ut primae con-



formationis vitium, ab effectibus morborum, quibus alter ren calculis, ulceribus, destruetus atque totus quantus olim consumitus fuit, dignoscatur. Huius quoque exempla pathologi in cadaveribus inuenientur.

Nostra de rene vnico obseruatio ad vitia organica, ex prima conformatio explicanda, pertinet. In rustici adolescentis enim, qui sibi ipsi mortem conciliauerat, corpore, renem dextri lateris, solito paullo profundius situm, conspeximus, alterum in sinistro latere frustra quaerentes. Quo certiores vero de omnibus, quae ad hunc casum rariorem illustrandum, aliquid facerent, redderemur, totum abdominis cauum, eiusque sinistram praecipue partem, diligentius perlustrauimus, nec ullum renis sinistri olim praesentis, nec renis succenturiati, vrteris, vasorum renalium, in hoc latere deprehendimus vestigium. Altero ergo viscere renali, in sinistra parte hunc iuuenem caruisse, adstantibus plane fuit persuasum. Hinc maxima attentione in examinando hoc rene versati fuimus. Situ vero magnitudine, structura, cohaesione, aliquantum ab ordine naturae recessit. Quas differentias iam notemus. Paullo profundius situm fuisse hunc renem, antea iam monitum est. Laxius vero per telam cellulosa cum adiacentibus partibus ita cohaesit, ut facilime separari potuerit. In primis vero eiusdem volumen solito maius, quo dimidia parte consuetam renum magnitudinem excessit, notatu dignum erat. Partes vero in renibus distinguenda, massa corticalis atque medullaris, pelvis, eiusque productio, vrter, cum hoc volumine maiori, egregie conspirabant. Quae ipsa huius renis magnitudo haud dubie efficit, ut ipse paullo profundius descendendo, locum consuetum reliquerit.

Effectus porro, quos haec irregularis conformatio in sanitatem defuncti exseruerit, cognituri, eiusdem consuluiimus affines, qui vero iuuenem hunc nunquam mictionis, aut lotii retenti vitio laborasse, uno ore narrarunt. Nec temere natura vnicum hunc renem volumine auxisse videtur, cum parciors vrinæ secretio, haud impune in oeconomia animali perseveratur. Memorabile illud exemplum huc trahamus, cuius WRISBERGIUS (Nota 73. ad HALLERI primas lineas physiologiae §. 227.) mentionem fecit. In corpore mulieris, quae odore

vrinoſo, quem ſpargebat, omnibus moleſtiaſſima euafit, vnicum re-  
nem, eumque ſolito minorem, atque veficam contractam reperit. Ex  
alterius tamen renis defectu, et altero magnitudine haud excedente,  
STOLLIVS (Rat. med. Tom. 7. Secl. III. pag. 243 ſq.) nulla oriſi in-  
comoda vidit. In iuuenie 14 annorum ren ſinifler cum vretere,  
cuius nullum in vefica vſtigium reperiebat, defuit. Ren dexter  
magnitudinis debita, vii et eiusdem vreter, vefica parua, con-  
tracta et ſana.

Plerumque vero vniuſ renis defectum alterius magnitudine na-  
tura ſupplet. MEYERVS (*Befchreibung des menschl. Körpers*, Th. 5.  
pag. 5 ſq.) renem ſiniftri lateris in puerō ſeptemni abſuſfe, dextrum  
duplo fere maiorem, vna modo pelui, atque vretere inſtructum fuifle,  
teſtatur. Similia ex diuersis auctoribus collegit LIEUTAUD (loc. cit.  
pag. 356 ſq.) Rariorem caſum renis deſicientis notauit MORGAGNI  
(libro laud. ep. 31. n. 25.) Mulieri ex dyſenteria mortuae, ren ſini-  
fier, omnino defuit; ſupplebat autem dexter, duplo, quam ſecundum  
naturam, maior, dupli ci pelue, ac dupli vretere inſtructus. Vreter  
vrieque ad dextram veficae partem tendebat.

Longe plura quidem exempla renum deſicientium, in latere cor-  
poris ſinistro fuerunt obſeruata. Extant tamen exempla renis ſiniftri  
modo reperti. HARDERVIS (Ephemer. Nat. Curios. Dec. II. ann. 1.  
1682. pg. 94) renem dextrum cum ſuccenturiato in extispicio non  
reperit, ren contra ſinister maximus per fiffuras quatuor inſignes di-  
vifus, vafa emulgentia maxima, vreter maior et amplior, ren ſuc-  
centuriatus itidem magnus, longus, latus. In vices renis dextri ve-  
ficae plurimae, maximae, minutae et minutiſſimae adſuerunt, in quae  
vafa emulgentia egregie inferebantur; illae veficulae aqua limpida,  
vifciduſcula, non foetente, nec vrinoſa repleteae, vreter nullus. In ſene  
octogenario MEDICVS (*Bremiſches Magazin*, Bd. 3. 1759. pg. 488 ſq.)  
renem in latere dextro fruſtra quaefuit, vretere praefente, cuius pars  
ſuperior clauſa, nullum cum rene tenuit virgulum.

Alia renum vitia, proxiina occasione pertractatur, viam haec  
prolusione nobis pandere voluimus ad commendandum

VIRVM PRAENOBILISSIMVM  
**CAROLVM GODOFREDVM ERDMANN**  
 VITEBERGA - SAXONEM  
 CANDIDATVM DIGNISSIMVM

qui de vita sua huc usque laudabiliter acta haec Ordini nostro exhibuit:

**E**ditus sum in lucem Wittebergae d. 31. Martii 1774 Parentibus, IOANNE CHRISTOPHORO ERDMANNO, AA. LL. M. et ad aedem B. Mariae virginis Archidiacono, atque CHRISTIANA ELEONORA, M. CAROLE GOTTLLOB CLAVSNITZERI, Dioecesis Cloedensis Superintendentis quondam et Praepositi meritissimi, filia. Quos utrosque Parentes in meam, fratribusque et sororum, felicitatem, etiamnum superflites atque saluos, quo diligentiores in me tum sanitati corporis, tum probitati et bonis moribus educando, curam adhibuerunt, eo maiori pietate et obseruantia venror. Ipse enim Pater, sicuti gratissimus memini, primis cogitandi, scribendi legendique, pariter atque religionis Christianae linguarumque doctarum elementis ita me imbuat, ut etiam deinceps scriptorum veterum Latii atque Gracciae celeberrimos, mecum cumque fratribus et aliis commilitonibus, qui scholas eius tunc frequentabant, perlegeret. Idem etiam cum Quintiliano, utile esse, et domi et in scholis eruditri censens, benigne curauit, ut simul traderet disciplinae Praeceptorum Lycei urbici, Virorum Clarissimorum, in primis HENRICII, tunc Scholae oppidanae Correctoris, cui praeter linguae utriusque accuratiorem cognitionem, Archaeologiae quoque notitiam in acceptis fero. Quemadmodum autem magistrorum horum publica insitutio magnopere profuit, ita domestica M. IOANNIS GOTTLLOB, fratris natu maioris, nunc Koenigerodae Mansfeldiae sacrorum Antiquitatis, opera, et b. HILLERI, tum publica, in Seminario sic dicto, tum priuatissima disciplina, maximo mihi fuerunt emolumento. Francogallicam linguam sancti liarem mihi reddiderunt MARTINIVS, nuper in Curlandia defunctus, b. MEHNERTVS, et HANNAUX fratres, Viri Venerabiles, nunc Dresdae commorantes.

Iam vero, ciuibus quidem academicis vix dum quadriennem me, singulari erga Parentes meos fauore adductus, adscriperat b. LANGGVTHIVS, Facultatis Medicae Venerandus Senior; in eorum vero numerum, qui stadiis vere operam nauarent, recepit ad 19. Octobris 1790. S. V. REINHARDVS, Ser. Electoris Saxoniae in rebus ecclesiasticis iam Consiliarius et Concionator Aliicus Supremus, Praeceptor et Patronus summopere colendus. Probe autem edocitus, artis medicae addiscendae, aequo ac facienda administrula esse quamplurima, quae temere neglexisse plurimam noxam adferat; quotquot eorum, quantum fieri potuit, diligenter sectatus sum. Proinde linguarum veterum scientiam in scholis FRANKII, Viri pl. Rev. affinis, heu nimis cito mihi erexit, atque Exc. HENRICII magis magisque excolere studui. Historiam uniuersalem et Patriae istam, denique litterariam ex ore Exc. SCHROECKHII, Viri Celeberrimi, atque in me beneficentissimi; medicinae proprio nisu addidici; Philosophiam uniuersam, theoreticam aequo ac practicam in praelectionibus REINHARDI, V. S. V. mente calamoque excepti. Matheos, iam domi tractatae, cognitionem in scholis EBERTI, Viri Exc. perficere conatus sum. Physicam, eamque experimentis quoque illustratam, tradidit mihi b. TITIVS, Praeceptor desideratissimus. In Zoologia et Mineralogia LANGGVTHIVM, V. Exp. in Methodologia et Encyclopaedia medica secutus sum V. Exp. TITIVM filium, affinem dilectissimum, cui quoque Chemiae uniuersalis, eiusdemque oeconomico-technicae, et pharmaceuticae, praecepta gratus debeo. Ad corporis humani partium administrationisque anatomiac cognitionem, duces mihi sepe praebuerunt b. NVERNBERGERS, Praeceptor quandam dexterissimus, item Exp. TITIVS atque FRENZELIVS, cuius etiam scholas zootomicas et veterinarias frequentauit. In primis ex NVERNBERGERI doctrina in corporis humani Physiologia profecti. Diaeteticam TEMPELIVS, V. Exp. iam Pfoertensis Physician, mihi explicnit; Pathologiam veranque Exp. TITIVS, Materiam medicam, artem, formulas medicas scribendi et Therapiam generalem atque specialem explanauit Exp. BOEHMERVS, Academie Senior Venerabilis, Praeceptor mea laude superior, etiam ob libros medicos omnis generis ex bibliotheca sua praestantissima mihi benigne commodatos, maxime a me colendus. Afferdi quoque NVERNBERGERO Traumatologiam et Splanchnologiam pathologico-therapeuticam tradenti, LANGGVTHIO iumorii Artem obstetriciam graui.

gravidarumque et puerarum infantumque recens natorum morbos explananti, TITIOQUE medicinam forensem et politiam medicam enucleanti, item ASSMANNO, V. Excell. Oeconomiae atque Technologiae praecepta enarranti, qui etiam mineralia indigena, ipsi a me oblata, benevole mihi exposuit; denique Ampl. KRVGRO, Fac. Phil. Adj. Cel. doctori subtilissimo, viuerae eruditionis humanae encyclopaediam diligidanti. In Arte disputatoria exercitationes mihi plurimum profuerunt per omnem vitam academicam in scholis BOEHMERI atque TITII, institutae, quo maiori fiducia sub ANTONII, Viri Exc. moderamine in auditorio maioris disputationibus utriusque generis memet committere possem. Scilicet, quod gratissimo animo et pia tantae liberalitatis veneratione commemoro, per integrum quinquennium contigit mihi stipendiis frui, minori primo, dein maiori, quibus Sereniss. Saxonum Electoris munificentia iuuare solet bonarum artium studiofos. Per triennium quoque ornatus sum stipendiis THIELEMANNIANO et MARPERGERIANO, ut legantium quondam pie defunctorum partim cognatus, partim in familiam quasi cooptatus, habuique propterea orationes duas publicas, alteram cosmologican de lege continui, alteram vero physicam de discrimine inter tria naturae regna rectius constitudo. Praeterea Academiae procerum vii omnium, ita Medicorum in primis benevolentia, in omne acuum veneranda, tributum mihi est stipendum KORNFAILIANVM; quo ratiem, ob imminentem ex Academia discessum, non, nisi per annum frui licuit.

Sic altus, enutritus, formatusque per sexennum ad 27. Febr. 1796. examen, coram ordine gratiose modestis precibus exoratum subi, et in Medicinae Candidatorum numerum receptus sum, antequam ex Academia patria discederem, in qua etiam hoc potissimum recordatione suauissimum mihi contigit, ut artis, corpora in primis naturalia delineandi pingendique, absque magistro primum inde a puero cultae, maiorem excolendi opportunitatem mihi praebaret SCHKVHRIVS, vir inter nos tria aeu Botanicos per quam celebris, tantumque simul in me botanicas amorem excitaret, ut hodiernum plantae mihi sint in deliciis. Quocum viro de me meritissimo per integrum decennium gratissima institutionis et laborum consuetudine coniunctus, diligenter inque locis natalibus indagans vegetabilia indigena, eaque

b

ad ipsius exemplum acque atque exotica, quorum lusfrandorum TVERPI, optimi senis, botanotrophi academic, facilitas plenam mihi copiam fecit, oculo armato tam accurate disquisui et quidquid singulare, nondumque dictum animaduerterem, ita notau sedulo delineauique, ut etiam obseruationum id genus variarum publici iuris faciendarum consilium intre audearem. Ut enim iam nihil dicam de plantis venenatis circa Wittebergam crescentibus, quas in ephemeridibus Witteberg. 1792. no. 13. descripsi, deque totius Saxoniae plantis, quas exsiccatas et descriptionibus illustratas, etiamnum edere pergo, dissertationiculam quandam, adiectis tabulis aeneis dilucidatam, obtuli Celeb. VSTERIO, quam edendam recepit in Annal. botan. 1793. P. 5. p. 23 sqq. Quae quum non displiceret rerum harum peritis, obseruationes alias colligere excitatus, similis argumenti dissertationiculam unam illorum Annal. parti 9. 1794. alteram vero parti 16. 1795. inferendam tradidi, quibus itidem vix sperata contigit botanicae doctrinae cultorum approbatio. Neque, quamdiu in academia versatus sum, comilitonum industriae iuuare destiti instituto plantarum examine, factisque in campos excursionibus; probe consciente commodi, quod ex aliarum institutione ad nosmetipos redundat.

Iam vero biennium est, et quod excurrerit, e quo artis medicae usu quoque et exercitio perficienda auidus Dresdam adiui, in qua urbe numero studiosorum denuo adscriptum, me multum iuuit doctrina, opera et facilitas WEISSII, V. Exp., in artis obstetriciae praeceps usu ipso confirmatis rite perspicendi inque operationibus chirurgicis, quas maxima cum dexteritate et fide is vir in aegris perficit, spectandis; itemque HEDENI, tum Projectoris in Theatro anatomico dexterissimi, iam vero exercitus Serviuss. Principis Protochirurgi et Chirurgiae tradendae Magistri Dresdensis meritissimi, qui non modo Chirurgiae dogmata accurate nobis interpretatus est, sed operationes etiam chirurgicas in cadaveribus nobis praenunt et a nobis adeo imitandas curauit. Denique Doct. ROEBERI, Physci urbici Peritisimi, et SCHRAGII, Chirurgi sollertiaissimi, mihiique ipsi in consolidanda quondam clavicula, ex lapsi diffracta, opem ferentis, eruditio et consuetudo non parum mihi profuerunt; quorum virorum coniuncta opera aegri in

II

noſocomio publico curantur, qui et mihi morborum variorum obſeruandorum, curationisque peruidendae occaſionem praebuerunt exoptatissimam. Atque ad haec gratissimae in urbe commoracionis insignia commoda acceſſit Viatorum Iuris consultissimorum CLAVSNITZERI, Praetoris urbici dignissimi, auunculi Patris inſtar mihi colendi, et AXTIR, Consulis meritissimi, atque DRECHSELII, in ſupremo redituū Principis collegio Secretarii, affinum dilec̄tissimorum conſuetudo, ſuauitas, humanitas, benevolentia, liberalitas, patrocinium et commendatio utillissima. At, ſi quid eſt in me follertiae, quo aegrotis apta medendi cura inſtituta, prodeſſe poſſim, hanc fere oīuenem debo Illuftri et Celeb. D. LEONHARDIO, Conſiliario aulico et Archiatro Elec̄torali Experientiſſimo, Patrono meo ad cineres usque colendo. Simulac enim Dredam veni, ad hunc virum, iam oīum Wittebergae familiae noſtræ amicissimum, cuius nomen appellaſſe ſumma laus eſt, confugi, meaque vota ei proposui. Qui ab eo deinde tempore ſalutem meam, antea tantummodo praeparatam, ſtabilitatē, permultorum aegrotorum grauiſſimorum curam mihi tradiſit, adiunque ad ſe ita permifit, ut ipſe tamquam experientiſſimus conſiliator et indulgentiſſimus Mentor quotidie docto de iis colloquio mecum habito, ſemper ſapientiſſimo adiſteret conſilio aegrotisque ſalutari. Cuius Patroni commendatio multorum ciuium amicitiam mihi comparauit, Eiusdemque benevolentiae conſeruatio adhuc comparat. Quid? quod ſummo honori mihi ducendum puto, per absentiam ſuam, quam munieris ratio nouunquam exigit, aegrotorum plerorumque omnium inuendorum curam ita fidei meae committere ſolet, ut ad ipſum per litteras de eorum valetudine reſeram, eiusque conſilia exequar.

Illi itaque LEONHARDIO praefatiſſimo, ſicut Parentibus venerabilibus, Praeceptoribus, Fautoribus et Amicis cognatis omnibus, quibus factum eſt, ut res meae tam proſperum ceperint ſuccesſum, pro educatione et inſtitutione, qua ingenium meum formarunt, pro honorifica et beneuola conſuetudine, qua me excoluerunt, et liberali munificencia, qua res meas ſubleuarunt et auxerunt, gratias ago ſemperque habebo, quas poſſum maximas. Quemadmodum vero gratam eorum recordationem et memoriam ad finem vique vitae ſempiterno venerabor cultu; ita Deum optimum maximum pie ſaneteque

rogabo, ut illos Patronos, mihi beneficos, splendidasque eorum gentes omni salute et fortuna cumulet, quae cuiuslibet vitam ad seram usque senectutem gratam reddere possunt atque iucundam.

Omnem ergo litterarum humanorum, artisque salutaris cursum, felicissimo cum successu, emensum fuisse Candidatum nostrum, atque in optimorum Praeceptorum scholis animum suum excolluisse, doctrinaque locupletasse, Lectores Benevoli nobiscum ex Eiusdem vitae enarratione, laeti cognoverunt. Studium indefessum, doctrina exquisita, eaque promta et parata, specimen Ordini Medicorum exhibita, Cl. ERDMANNVM dignum reddiderunt, vt publicos iam diligentiae Suae accipiat honores. Equidem Ordinis Medicorum interpres, publice Ipsi hanc tribuo laudem, simulque exempla domestica, praecepit Patris Sui, Viri de ciuitate nostra per longam annorum seriem meritissimi, per reliquam vitam imitanda, propono.

Ipsi igitur diem 20. Novbr. diximus, qua publicam disputationem more maiorum habeat. In hunc finem libellum edidit: *de nexus theoriam et praxin medicam intercedente*, sine Praeside defendendum. Ad quam celebrandam panegyrin **RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMOS, ORNATISSIMOS DENIQUE ET HUMANISSIMOS COMMITTONES** perhumaniter cupimus inuitatos.

Scrips. Vitebergae, P. P. 24. Trinit. 1798.


---

VITEBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

---

PICA K018





20.

D. SALOMO CONSTANTINVS  
T I T I V S,

ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.

P. T.

ORDINIS MEDICORVM

ACADEMIA

D E

A C T V M I

A. D. 20. N

PUBLI

D E R E

C

*Renis unius in i*

